Deo opt. max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA.

Quodlibetariis Diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum die Jovis 4. Januarii 1685.

M. CLAUDIO QUIQUEBEUF, Doctore Medico, Præſide.

An cor inſtar muſculi moveatur?

COR μῦς κάρτα ἰσχυρὸς, carne & fibris, ut ceteri muſculi coagmentatur, caro eſt compacta, quæ frequentibus, & robuſtis fibris ſtringitur. Hæ longiores & breviores ſingulari artificio revolutæ, miram cordis compagem demonſtrant; ab uno omnes tendine oriundæ, in eodem ἑλικοειδῶς deſinunt. Longiores externæ ad mucronem protenſæ ita revolvuntur, ut intus abſconditæ, mucronis extremum ex duabus tantum membranis conſtitutum, evitent; hæc fibrarum obliqua protenſio, facit ut mucro obliquè ad baſim accedat, qui motus contractione fibrarum perfectus, cavitates reddit ampliores; in conformatione quod primum movetur, in formato animali quod ultimum quieſcit, eſt cor. Cæterarum partium motus attritus & calor pene extinctus reviviſcit, ab unius cordis calore & motu; inter carnes pro ratione molis, duos inſigniores nervos cor obtinet; attamen aut nihil aut obſcure ſentit; hinc collectum in thorace pus utroque illius ſinu æque innoxie excipitur, ac emulgetur per renes.

FIBRA nerveum textile, obſcura intus cavitate plena liquoris in ſecto nervo conſpicui, donatur; hæc ſpirituum via, variis diſtinguitur cellulis, quæ impellentes ſpiritus continent. Nempe, fibra ſpiritu fœta, brevior evadit & latior, ſic mutata figura exitum occludit, ſpiritum & frænat, velut carcere; in cellularum ſpatiis, reconditur materia non omnino agitata, motui tamen aptiſſima; hanc novus ſpiritus concitat, & utrumque majorem occupans locum, fibram contrahit. Conſociatæ omnes una contrahuntur, atque illud eſt muſculi actio; fibrarum vis & ſpirituum impulſio non poteſt accurate definiri, quodam modo intelligitur, ex membrorum mediocri & ponderum majori gravitate, quam ſuperant muſculi; major potentia fibrarum in medio, cum media pars, præter fibram continuatam circumfuſa carne roboretur; in principio & fine, fibræ etſi in faſciculum unitæ non tantam edunt actionem.

SPIRITUS eſt pars ſanguinis ſubtilior, vitalis in corde apparatus, exordium eſt ſpiritus animalis, à quo puritate & mobilitate differt; vi cordis pellitur ſanguis ad caput & reliquas corporis partes; quod ſubtile eſt in ſanguine, ſubiens cerebri anguſtas arteriolas, compingitur, & relicto eo quod habebat aqueum, denſiorem acquirit molem, inſtrumentum recepto motui conſervando & quam minime de perdendo aptiſſimum; ſpiritui æther motus πρῶτον δεκτικὸν, motum largitur; ſed ad ſpiritum ſic neceſſaria eſt ætherea materia, ut cum abſque illa ſtare non queat, motus ſpiritui innatus jure aſſeratur, hic componitur ex partibus ideo & diſſolvitur, ut obſervare licet, in nimio plus ambulantibus, qui tandem laſſi, itineris impotentes evadunt, ſpiritu attrito & conſumpto.

IN cerebro ſpiritus nuſquam non mobilis, ibi manet velut in ſtatione, nec inde in muſculos defluit, niſi animæ volentis imperio. Anima tamen motum quem, non habet, nequaquam concedit; ſed ex lege ſocietatis inter animam, & corpus conjunctæ, fit, ut ſpiritus ex animæ cogitatione, per nervos feratur in carnes. Id opus illicò completur, licet nervorum longitudo ſit aliqua; quia mirablis quædam continuatio, serieſque ſpirituum, utalius & alio nexus videatur; inchoatus itaque motus in cerebro, perficitur in muſculis. Motus ille acceleratur & duplicatur aliunde, ut à bile rapta ad cerebrum, vel à vino ſanguini confuſo, omnis autem actio à ſpiritu; hujus tanta eſt neceſſitas; hunc undique diffundunt obſcuræ nervorum propagines, adeo ut nec venæ, nec arteriæ, nec membranæ, nec ulla pars illo careat.

CORDIS itaque coagmentatio cum fibris carne & nervis conſiſtat, à ſpiritu incitari, pluſquam veri proximum videtur; ſpiritus quidam per nervos affluunt ſine ulla intermiſſione, ad motus perpetuitatem, ſine qua, vita non eſt; à ſpiritibus contrahuntur fibræ, fibrarum contractio ita fit, ut quantum longitudini detrahitur, tantum addatur latitudini; reſpirationis muſculi perenni quidem ſpirituum agitatione impelluntur, ſed hujus cum non tanta ſit neceſſitas, ſponte cohibetur ad minimum tempus; cordis utilitas major, ceſſatio nulla; ſpiritus impulſioni maxime favet impetus ſanguinis, in utroque ſinu effervescentis, qui repente dilatatus, utrumque ſinum dilatare nititur. Acceſſio mucronis ad baſim immotam cordis eſt capacitas, quam arguunt fila tranſverſa ſiniſtri ventris immiſſum digitum conſtringentia. Capaciori corde, arteriæ concidunt, anguſtiori protenduntur: quia cum rejicit cor, excipiunt arteriæ, & contra cum hæ exprimunt ſanguinem, cor excipit; quadam vi elaſtica à ſpiritibus profecta, vaſa pollent; conſpicua in arteriis, obſcura in venis. Hac vi fit, ut ſanguis, occluſo cordis ſiniſtro ore, pellatur per venas, in dextrum patens. Horum motuum ad valetudinem ſuſtentandam neceſſariorum cauſa cordis motio, quæ adinſtar motionis muſculorum propriæ perficitur, copia & affluentia ſpirituum, qui à cerebro appellunt ſemper, contractione fibrarum & denſioris carnis duritie.

Ergo, cor inſtar muſculi movetur.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joannes Duval.
M. Claudius Quiquebeuf, Præſes.
M. Ioannes Michaël Garbe.
M. Robertus Raoult.
M. Matthæus Thuillier.
M. Ioannes Baptiſta Ferrand.
M. Antonius le Moine.
M. Guido Creſcentius Fagon, Reginæ Francorum nuper fato functæ, Medicus primarius.
M. Iacobus de Bourges.

Aſſerebat Pariſiis NICOLAUS BRUNEL DE LA CARLIERE, Lexovienſis Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1685.